

Apostolicæ Sedis, Venetæque Reipublicæ potissimum conjunctio-  
ne sita esse. Id vero cum usu & experientia didici, tum in  
Europæ Principum aulis, in quibus Reipublicæ operam nava-  
ri edocitus sum. Quis enim ignorat (modo parum humanis in  
rebus versatus sit) profecto utriusque imperii nexu, veluti  
æquilibrio quodum, majorum Principum vires ac potentiam  
temperari, proferendique imperii cupidinem, quæ in Regum  
ingeniis insita est, frenari & cobiberi; ut nullo unquam tem-  
pore, mutuo hoc fœdere permanente, pacem banc, qua per  
tot annos Italia floret, turbare, neque in belli tempestates ac  
procellas christianam rempublicam nobis invitis demittere que-  
ant? Hoc vero mutuo consiliorum consensu, quid ad stabilien-  
dam tranquillitatem præstantius, quid ad gloriam propagan-  
dam illustrius inveniri aut excogitari potest? Quæ cum ita  
sint, diffiteri nequeo, Beatissime Pater, me ingenti animi do-  
lore ac cruciatu intuentem, angi, malevolorum atque inscien-  
tium hominum studiis in adversum tendentibus, id agi, ut  
ea, quibus hucusque Italica pax stetit, oblivioni mandentur;  
ejusque rei jam signa erumpere, dum in omnibus Venetorum  
negotiis (quantumvis ea levia sint) infinita atque insuperabi-  
lia propemodum impedimenta oboriantur. Pro Brixiensis ecclæ-  
siæ Antistite designando (licet sacrae leges consentiant) decer-  
tatur. An id tanti est, ut rigide atque acerbe cum ea agi  
Republica debeat, cuius religio atque in Apostolicam Sedem  
obsequium tantum nota sint, quantum per varias temporum  
successiones arma suscepta, crux effusus, præclara gesta, quæ  
vix recenseri, ne dum enumerari queant, universo orbi pate-  
fecere? Quid aliud hisce dissidiis & contentionibus, aspera  
hac novaque prorsus agendi ratione fit, quam ut eorum, qui  
& Apostolicæ isti Sedi, & Venetæ Reipublicæ invident,  
iniqua consilia provebantur? Cuncta igitur quotidie in præ-  
cepis labi prosternique sinemus? Flecte aliquantis per, flecte,  
inquam, mentem istam, Pater Beatissime, atque benignius  
Senatum Venetum intuere, pius, religiosum, bujusc Sedis  
incrementi, Italica pacis percupidum, tuique in primis stu-  
diosissimum, in quo, modo velis, nihil non obsequii ac rever-  
tentiae plenum invenies; tecum benevolentia gratique ani-  
mi officiis libentius certaturum, quam iis de rebus, quæ  
parum